

quam ipsi debebatur, cum hoc excessu compensanda erit infamia. *L. 4. C. Ex quibus caus. infam. irrog. L. 12. Sp. ff. eod. L. 10. ff. de Pœn. Dn. Schwend. ad Eck. de His, qui not. §. 12. Lauterb. in Compend. ff. tit. de His, qui not. in fin. Matth. Lib. 48. tit. 19. cap. 1. n. 6. Faber. ad C. Lib. 2. tit. 36. D. 2. n. 5. in alleg.*

- 55 Excedit Judex ordinariam pœnam, si plures numero sint delinquentes *C. 4. X. de Clerico excommunicato*, utpote, universitas, vel Provincia tota, & unum ex illis, qui probatus fuit Autor, & factionis caput, ad supplicium condemnare potest, reliquos vero dimittere. *Brunnem. in Jure Eccles. L. 2. cap. 18. §. 62.* Ex natura quidem delictorum, tot esse convenit pœnas, quot sunt delinquentes. *L. 7. 8. f. & L. 8. ff. de Jurisd. L. 21. de Furt. L. 51. ff. ad L. Aquil.* neque ut commensuratae tunc demum dicuntur delictis pœnæ, si patiatur is, qui flagitia commisit, attamen in tali casu ex justa ratione
- 57 pœnam excedere potest: Scil. quia crudelius videretur omnes plecti, nec sine periculo exerceret talem lanienam, proinde sufficere potest, si ex paucorum supplicio, metus ad omnes deveniat. *Matth. L. 48. Tit. 18. cap. 4. n. 30.* Cæterum, si non admodum sit numerosa delinquentium caterva, sumi supplicium ab omnibus poterit *L. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar. art. 248. Const. Crim. Carpz. qu. 25. n. 11. & 17.*

## DISPUTATIO XCI.

DE

FINIBUS BONÆ FIDEI IN  
PRÆSCRIPTIONIBUS DE JU-  
RE CANONICO,

PRIMA.

Resp. JOH. CHRISTOPH. LAURENTIUS. Cöth, Anhalt.

ANNO 1694.

SECTIO I.

De Præscriptionum Differentiis, & Finibus bonæ fidei in  
usucapione, utroque Jure.

SUMMARIA.

1. Introitus cum cautela. 2. Distinguuntur duo genera præscriptionum: que at-  
legantur vel ab eo, qui de suo debet; vel ab eo, qui alieni quid tenet. 3. Jus  
Civile antiquum, & novum circa præscriptiones. 4. In quaestione rite subducendæ tres  
casus, diversi separantur (α) Usucapionum in actionibus realibus, (β) Præscriptionum  
in actionibus personalibus, quæ dantur in eum, qui rem alienam tenet, (γ) in iisdem,  
quæ dantur in eum, qui de suo debet. 5. Dd. comm. requirere bonam fidem in tribus  
casibus: Bartolum & alios in solo primo; Nos in duobus prioribus, 6. Q. an quicquam